

ferius: *Auxilium adjuvans dici, quia ipsam operationem inceptam per auxilium prædeterminans coadjurat et consummat; concomitans vero dici, quia concomitatur operationem, ut inceptam per auxilium prædeterminans.* At vero inferius ita hoc explicat, ut dicat unicam esse operationem realiter et formaliter determinationis et executionis, licet virtualiter et interpretative sit duplex.

Impossibile igitur censeo esse ibi duas actiones tendentes ad eundem numero terminum. Nam duobus modis potest id intelligi. Primo, quod utraque immediate et intrinsece tendat in eundem terminum, licet prius natura una quam alia. Secundo, quod una tendat mediante alia; et uterque modus in præsentia est mera fictio. Priorem modum insinuat ille auctor loco citato, quamvis intelligi vix possit quæ fuerit ejus mens, vel quid vocet operationem ut inceptam, seu quid sit incipere prodire in actum; interrogo enim an illa inceptio sit effective a libero arbitrio, ita ut sit inceptio libera, vel sit a solo Deo, nam juxta dicta hoc posterius videtur esse dicendum, et hoc sentit hic auctor, dum aliis locis affirmat determinationem fieri a solo Deo. In hoc autem sensu videtur illa assertio valde periculosa, nam si illa actio (quæ determinatio dicitur) habet pro termino ipsum consensum, et solus Deus facit illam actionem, ergo prius solus Deus facit in voluntate ipsum consensum, quam voluntas ad illum cooperetur; statim vero illum voluntas admittit, quia pro illo instanti illum repudiare non potest. Unde vel voluntas non efficeret consensum, vel ad summum iterum efficiet illum, jam in ipsa factum, et ita secundo efficeret quod jam erat, essetque supervacanea assertio, vel saltem nihil ad liberum consensum conferret. Et præterea actus vitalis prius imprimeretur ab extrinseca causa quam fieret a potentia vitali, quod repugnat.

Diceret ille fortasse illam motionem præviam Dei non esse effectioem illius termini, seu actus consentiendi, sed inceptionem. Sed hoc nihil est, non enim potest illa dici inceptio, quia sit quasi inchoatio actus in aliqua particula ejus, tum quia ille terminus indivisibilis est; tum etiam quia alias aliquid esset in illo termino seu actu factum a solo Deo, et aliquid factum cum libero arbitrio, quod est omnino falsum, ut supra notatum est ex Bernardo, lib. de Gratia et libero arbitrio. Ergo dicitur inceptio, quia est prima effectio illius termini, per quam incipit esse per primum

sui esse, et ut sic erit sine libertate et sine vitalitate, quia fit sine influxu voluntatis liberæ.

Si autem dicatur illam etiam inceptionem esse effective a voluntate ut libera (quod in locis prius citatis magis significat ille Auctor; nam illa verba, *determinare se et prodire in actum*, hoc magis significant), sic destruitur positio de auxilio efficaci de se et natura sua prædeterminante, ut supra dicebam. Quia illud auxilium nihil facit sine cooperatione liberi arbitrii, et ita non est efficax, etiam quoad determinationem, sine cooperatione ejus, et ab illo pendet in agendo, modo explicato, scilicet, tanquam a causa; ac denique illud expectat, ut secum efficiat et se determinet, nam ex innata libertate potest illud impedire ne efficiat; unde etiam fit ut illa inceptio non fiat sine auxilio simultaneo respectu influxus liberi arbitrii in eandem inceptionem (ut supra in simili declaratum est). Ac tandem, cum illa inceptio non sit prima inchoatio alicujus partis, sed prima effectio totius termini, si illa est a libero arbitrio et auxilio gratiæ, chimericum est fingere aliam actionem liberi arbitrii, vel aliam gratiam adjuvantem illud, ut consummet actum in quem prodire cœperat, nam prodire est efficere, et efficere est consummare actum, qui indivisibiliter fit. Hoc ergo modo concipi nullo modo possunt ibi duæ actiones in re ipsa distinctæ, et ad eundem terminum tendentes.

Venio ad alium explicandi modum, videlicet, illas duas actiones habere unum et eundem terminum ultimum qui est actus consentiendi, non tamen æque immediate terminari ad illum, sed unam mediante alia. Nam actio, per quam Deus determinat voluntatem, dicitur esse principium illius actionis, per quam liberum arbitrium elicit consensum, et, mediante illa, terminari ad ipsum consensum. Hunc etiam modum indicavit Cabrera, in illa disp. 6, dub. 1, concl. 3, in qua dicit, *auxilium actuale* (quod etiam concursus appellat) non esse aliud quam operationem supernaturalem liberi arbitrii. Infra vero, num. 44, dicit actionem eandem esse a Deo et a potentia, licet formaliter distinguantur, et, ut est a Deo, antecedit ordine naturæ, et habeat rationem actus primi, in quo potentiam ipsam constituit in ordine ad eandem actionem, ut est ab ipsa. Verum est Auctorem hunc valde æquivoce loqui, quia in conclusione et citatis verbis videtur loqui de auxilio concomitante, seu concursu ipso; in discursu autem proba-

tionum et objectionum videtur loqui de auxilio præveniente, quod certum est esse motionem Dei animæ inhærentem, quæ, licet in se sit quidam actus vitalitatis indeliberatus, comparatur ut actus primus respectu consensus. Unde loquendo de hac motione, recte dicitur distingui realiter ab operatione potentiæ, ad quam comparatur ut actus primus, ut per se notum est, et ideo de illo auxilio dici non potest quod sit ipsa operatio liberi arbitrii.

At vero si sit sermo de concursu proprio (quem ille vocat auxilium simultaneum), sic impossibile est concursus Dei comparare ad influxum potentiæ tanquam actum primum ad secundum; tum quia non distinguuntur re, sed ratione, et ideo non potest esse inter eos causalitas realis nec prioritas naturæ, quæ est inter actum primum et secundum; tum etiam quia uterque influxus tendit directe in terminum, et procedit a sua causa, ut complete constituta in actu primo, et ita uterque est in re una et eadem actio seu idem actus secundus inadæquate conceptus. Ut ergo illa sententia habeat aliquam doctrinæ coherentiæ, oportet intelligi de actione Dei prædeterminativa, quæ (juxta eandem sententiam) sequitur post gratias excitantes, juxta horum sententiam, et est prævia ad consensum, tanquam principium physicum ejus. Quod expresse declarat idem auctor, eadem disputat., dub. 4, num. 23, dicens, *auxilia excitantia solum habere causalitatem moralem in consensum, et ideo necessarium esse auxilium efficax, quod sit principium physicum ejus.*

Veruntamen hoc etiam modo explicata illa sententia non apparet verisimilis. Primo, quia, si illud auxilium efficax est quædam actio et motio solius Dei, necesse est per illam aliquid immediate fieri a solo Deo, nam omnis actio habet aliquem terminum, qui per illam immediate fit. Quod patet, quia tam actio quam terminus procedit ab eadem causa totali; et terminus non fluit a causa, nisi mediante actione; actio vero nihil aliud est quam fluxus quidam, qui ab agente egreditur et in terminum tendit. At vero non potest illa actio habere pro termino aliam actionem, quæ est a potentia voluntatis, quia illa actio non fit a solo Deo, sed a potentia adjuncta a Deo; terminus autem eujusque actionis fit a sola sola causa, a qua fit actio. Et eadem ratione, nec ipse actus consentiendi, ut est qualitas quædam, potest esse terminus illius primæ actionis solius Dei, quia illa qualitas non fit a solo Deo in aliquo instanti naturæ, ut supra

probatum est. Oportet ergo illi actioni divinæ proprium terminum assignare distinctum ab actu consensus.

Fortasse quis dicat illam esse actionem sine proprio termino intrinseco, quia solum datur ut sit principium alterius actionis; ita enim quidam dixerunt de actionibus immanentibus. Sed hoc profecto in universum falsum est, nam est contra rationem actionis, quæ intrinsece est quoddam fieri, seu facere, quod intelligi non potest nisi per illud aliquid fiat; maxime vero hoc est impossibile, et contra omnium sententiam, quoad actiones transeuntes, quia omnes docent nullam esse actionem transeuntem sine proprio termino; illa autem actio, de qua agimus, transiens est, nam respectu ipsius liberi arbitrii non est immanens, cum ab ipso non fiat, neque etiam respectu Dei, quia non manet in ipso.

Unde si vera esset sententia dicentium respectu Dei non dari actionem formaliter transeuntem, sed ipsum actum immanentem Dei habere vim actionis transeuntis, sic potius dicendum esset auxilium illud efficax ac prævium non esse actionem aliquam, sed effectum actionis immanentis in Deo. Erit ergo entitas facta, quæ non potest intelligi nisi qualitas aliqua; supponendo etiam, in effectibus, quæ immediate fiunt a solo Deo, intervenire actiones formaliter transeuntes, reperietur profecto in illo auxilio actio transiens Dei. Necesse est ergo illam terminari ad aliquam rem, quæ a solo Deo fiat, quæ non potest esse nisi qualitas aliqua. Adde quod ad actionem non est actio, ut una possit esse proximus terminus alterius; oportet ergo ut ille terminus sit qualitas aliqua facta a solo Deo, ac proinde distincta ab illa qualitate, quæ est actus elicited a potentia, quia illa non fit a solo Deo, et quia si actiones illæ sunt in re distinctæ, necesse est ut tendant ad terminos intrinsecos in re distinctos.

Nec refert quod auxilium illud efficax ponatur ut sit principium physicum actionis consentiendi; nam, licet hoc daretur, intelligendum esset ratione sui termini, non ratione actionis. Nam actio, ut actio, formaliter non est principium agendi, sed via ad terminum; terminus autem ipse potest esse principium agendi. Sicut infusio habitus, quatenus actio est, non est proximum principium actus secundi, sed ratione sui termini, qui est habitus, potest dici principium, quia habitus ipse vere est principium actus secundi. Nullo ergo modo possunt illæ duæ actiones habere

unum et eundem intrinsecum terminum esto non repugnaret terminum unius esse principium alterius, et hac ratione terminum secundæ actionis posse dici terminum utriusque; per se quidem et immediate unius, scilicet, actionis voluntatis; mediate vero, et quasi per accidens, alterius, sicut illuminatio dicitur terminus motus localis solis. Hic vero terminus non potest excludere alium per se et intrinsecum prioris actionis seu motionis, vel applicationis seu determinationis, vel quocumque nomine appelletur.

Superest ut probemus non posse in priori actione intelligi terminum, qui sit qualitas in re distincta ab actu consentiendi; sic enim demonstratum erit non posse illas actiones esse in re distinctas. Probatur ergo assumptum utendo alio dilemmate: nam vel ille terminus est aliquid per modum actus secundi, vel per modum actus primi; neutrum dici potest; ergo. Circa majorem, adverto sermonem esse de actu primo et secundo, non tantum quoad munus, sed etiam quoad substantiam, ut sic dicam; omnes enim dicti Auctores fatentur illud auxilium efficax esse actum primum quoad causalitatem, respectu consensus, quia est principium ejus et determinatio ad illum. Supra vero adnotavi unum actum secundum intellectus vel voluntatis posse esse principium alterius. Illum ergo voco actum secundum quoad substantiam, qui suo esse et causalitate formali constituit potentiam in actu secundo; quando vero ille actus secundus est principium alterius, voco illum actum primum quoad munus respectu ulterioris actus. Habitus vero est primus actus in esse et munere suo. In hoc ergo sensu requiro de illo auxilio efficaci, quatenus est res aliqua vel qualitas impressa potentiae seu causæ agentis, an in suo esse sit actus secundus, vel primus.

Prædicti auctores sæpe significant esse actum secundum et vitalem, nam illud vocant illuminationem et inspirationem Spiritus Sancti, ut ex Cabrera, in loco citato, in proximo §, intelligi potest; et ex Francisco Davila, qui sæpe contendit Concilium Arausicanum, cum docet per inspirationem Spiritus Sancti fieri in nobis ut purgari velimus, et Tridentinum, cum dicit neminem credere posse sine prævia Spiritus Sancti inspiratione, per inspirationem intelligere hoc auxilium efficax; inspiratio autem et illuminatio sunt actus vitales intellectus et voluntatis, ut in superioribus ostensum est, ex sententiâ omnium, etiam

istorum Auctorum. Estque evidens, nam hæc inspiratio est tactus cordis, qui ab Spiritu Sancto fit, et ab homine percipi potest, juxta id: *Ego sto ad ostium, et pulso, si quis aperuerit, etc.* Non enim potest aperire ex vi pulsationis, nisi qui illam percipit; non potest autem percipi, nisi sit actus vitæ ipsius cordis. Est etiam talis inspiratio vocatio interna, quæ, prout recipitur in audiente, actus vitalis esse debet. Alias quomodo posset homo illam libere acceptare vel abjicere, ut Concilium Tridentinum tradit? In his ergo locis sentiunt dicti auctores auxilium efficax in substantia sua esse actum secundum, licet comparetur ad consensum, ut actus primus.

Nihilominus consequenter loquendo in hæc sententia, existimo dici non posse hoc auxilium esse actum secundum, seu vitalem voluntatis. Primo, quia tale auxilium, tam quoad actionem, quam quoad intrinsecum terminum ejus, fit a solo Deo, et non a voluntate; actus autem vitalis, quantumvis imperfectus, fieri non potest nec vitaliter afficere voluntatem sine efficientia ejus, ut contra Andream Vegam supra diximus, et adversarii etiam admittunt. Major constat ex his quæ in principio diximus de puncto controversiæ. Nam determinatio, quæ fit quasi formaliter per hoc auxilium efficax, effective est a solo Deo, et in hoc consistit intrinseca et naturalis efficacia hujus auxilii juxta hanc sententiam; ergo totum hoc auxilium quoad actionem et terminum intrinsecum ejus fit in voluntate, non tamen ab illa.

Respondere possunt determinationem hanc non fieri a voluntate libere cooperante, quia necessitate quadam determinatur per tale auxilium, nihilominus tamen posse fieri a voluntate vitaliter cooperante ex necessitate, sicut Augustinus dicit Deum facere in nobis vocationem suam sine nobis; quia facit illam sine libertate nostra, non vero sine effectione vitali.

Sed urgemus, quia jam isti Auctores confundunt determinationem cum gratia excitante seu vocatione, quas tamen alias ipsi adeo distinguunt, ut dicant totam excitantem gratiam solum esse auxilium sufficiens, et requiri hanc determinationem ut fiat efficax. Item excitantem seu prævenientem gratiam solum habere causalitatem moralem respectu consensus, determinationem vero esse causam physicam. Item eum qui consentit, et qui resistit, posse esse æquales in gratia excitante seu præveniente, per hanc autem determina-

tionem fieri discrimen inter illos a solo Deo; ergo necesse est ut omnino distinguant hanc determinationem a tota gratia excitante.

Quod autem cum illa confundatur, si ponatur esse actus vitalis necessario elicitus a voluntate, et manifestum est, quia gratia excitans consistit in similibus actibus, nec potest cogitari aut fingi in quo distinguantur. Nam si determinatio est actus necessario elicitus a voluntate, est amor aut odium, desiderium aut timor, complacentia aut displicentia, denique volitio et nolitio. Quid enim aliud esse potest? Hæc autem omnia pertinent ad gratiam excitantem; ergo nullus actus vitalis ac necessarius voluntatis a Spiritu Sancto immixtus intelligi potest secundum aliquam aliam rationem vel modum propter quem dicatur esse determinatio, et non excitatio. Accedit quod ratio, qua supra probavimus vocationem seu excitantem gratiam de se non habere intrinsecam vim ad determinandam voluntatem ad consensum (quod isti auctores etiam fatentur de tota gratia excitante), probat idem de hoc auxilio seu determinatione, si nihil aliud est quam quidam actus vitalis imperfectus, seu indeliberatus et necessarius voluntatis; ergo auxilium de se et natura sua intrinsece efficax ad determinandam voluntatem ad consensum, non potest poni in hujusmodi actu vitali et imperfecto.

Superest dicendum de altero membro, an, scilicet, intrinsecus terminus hujus motionis prædeterminantis sit qualitas aliqua quæ sit proprie actus primus. Quod autem neque hoc modo admittendum sit tale auxilium, probatum est rationibus insinuat in superioribus capitibus; novæ enim neque occurrunt, nec necessariæ sunt. Prima est, quia in agentibus naturalibus talis qualitas supponit causam sufficienter constitutam in actu primo, verbi gratia, ignem calidum ad calefaciendum, oculum informatum specie et lumine ad videntium, et sic de aliis; ergo supervacaneum est addere novum actum primum, alioquin procederetur in infinitum. Respondent ante hanc qualitatem præcedere quidem actum primum, non tamen satis completum vel applicatum, aut excitatum, vel motum, ut agere possit, et ideo indigere illo complemento actus primi. Sed hæc sunt verba, quibus nulla res subesse potest, quæ cum fundamento asseratur, ut latissime probavi in l. 4 de Auxiliis. Cur enim calor non erit actus primus completus in suo genere ad calefaciendum, aut cur non posset quis dicere etiam post illam qualitatem

esse incompletum principium, et indigere alia qualitate, et ita sine termino? Dico autem in suo genere, scilicet, principii proximi, vel talis causæ secundæ, quia non oportet ut in omni genere sit sufficiens; semper enim indigebit concursu causæ primæ.

Quod si hac ratione vocetur actus primus incompletus, solum quia indiget concursu causæ primæ, etiamsi mille qualitates superaddas, aggregatum illarum omnium erit actus primus incompletus, quia nunquam potest agere sine actuali concursu Dei. Esset enim erroneum dicere actionem Dei sistere in impressione hujus qualitatis facta in igne, verbi gratia, et calefactionem ipsam quæ fit in passo, non fieri et dependere immediate ab ipso Deo, ut a causa prima, sed solum media illa qualitate, quæ habet rationem causæ secundæ, eo ipso quod est actus primus creatus. Quæ ratio plane ostendit hanc qualitatem non pertinere formaliter ad concursum Dei ut causæ primæ, nec propter illum esse necessariam. Imo etiam ostendit talem concursum nunquam posse per inditam qualitatem suppleri, sed necessario debere esse immediate ab ipso Deo; immediate, inquam (ut dici solet), immediatione virtutis, quæ per se non excludit immediationem etiam suppositi. Constat ergo ex illo discursu, si calor, verbi gratia, dicatur actus primus incompletus, solum quia causa secunda est et indiget concursu primæ, sic non posse suppleri per qualitatem superadditam; si autem aliud incomplementum fingitur, frustra et gratis fingitur. Non enim in quacumque qualitate fingi potest, quia non omnes habent illud incomplementum, sed tantum potentiæ illæ quæ non sunt pure activæ, sed etiam passivæ, ut potentia cognoscitiva.

Verumtamen neque hæc facultates indigent per se hoc complemento, propter subordinationem quam habent, sed propter indigentiam objecti, vel alias peculiare causas. Quapropter respectu suorum naturalium actuum possunt illud complementum recipere (regulariter loquendo) per alias causas secundas seu particulares, ut visus recipit speciem ab objecto, et lumen a sole; et tunc jam non indigent alio complemento a causa prima. Et idem est cum proportionem in intellectu. At voluntas, quatenus non indiget specie, est in actu primo completo respectu suorum actuum naturalium; quod si indiget objecto fortasse ut coefficiente (juxta aliquam opinionem), per cognitionem proportionatam intellectus suffi-

cienter completur in tali vi agendi; et similiter si voluntas respectu sui habitus consideretur ut potentia passiva, et consequenter ut incompleta respectu efficientiæ quam addit habitus, hoc etiam complementum non pertinet ad causam primam ut concurrentem cum secunda, sed vel ad causas naturales in habitibus acquisitis, vel ad Deum ut habentem rationem superioris causæ in infusis.

Posito autem habitu infuso, jam voluntas est perfecte completa in actu primo, licet oppositum dicat Cabrera, disp. 6, dub. 1, n. 28, tamen sine fundamento. Et ideo in eo ipso non sibi constat. Nam infra, dub. 3, n. 63, dicit potentiam ante auxilium efficax esse constitutam in ultima actualitate actus primi, et n. 64 addit hoc auxilium non tribuere virtutem operativam ipsi potentiæ.

Quod autem solent hi auctores dicere, qualitatem illam necessariam esse ut applicetur actus primus ad agendum, non solidius est; hoc enim facile refutatur, tum argumento facto, quod illa qualitas indigebit etiam applicatione, tum etiam quia revera nulla est talis necessitas. Nam omnis actus primus, quantum est de se, ex vi suæ inclinationis, est satis applicatus ad agendum, si, ex parte objecti vel materiæ circa quam, aliæ conditiones necessariae concurrant, et impedimenta removeantur. Nec magis necessaria est determinatio, nam principia naturaliter agentia de se sunt sufficienter determinata ad exercitium actus; principia autem libera non solum non requirunt talem determinationem, sed etiam illi repugnant, quatenus libera sunt; nec determinatio ad individuum effectum fieri potest per inditam qualitatem præviam, quia de se semper est indifferens ad plura individua; sed fit per Divinum concursum concomitantem, ut alibi ostendi.

Denique excitatio vel motio virtutis, quæ operatur est, in virtutibus mere naturaliter agentibus non solum per se necessaria non est, verum etiam nec percipi potest nisi ubi est necessaria prævia aliqua alteratio, ut virtus agentis compleatur, vel convenientius applicetur; tamen, supposita sufficiente dispositione ad agendum ex parte causæ secundæ, ficta est omnis alia excitatio, vel motio prævia quæ necessario fieri debeat a causa prima, ut concurrente cum secunda, vel potius antequam concurrat cum secunda. Propria ergo excitatio pertinet ad potentias animæ; et hæc fit, vel per impressionem specierum, vel luminis, vel per ipsos actus vitales. Tamen si

ex hoc capite supponitur sufficiens excitatio, omnis alia impressio vel motio, quæ necessaria fingitur ad excitandam potentiam, est ficta sine fundamento. Quæ omnia latius prosecutus sum in l. 1 de Auxiliis, et in disputationibus Metaphysicæ, et æque procedunt in auxiliis gratiæ, supposito prævio actu primo illius ordinis, et sufficienti excitatione et motione per auxilia prævenientia.

CAPUT XXVIII.

SOLVITUR OBJECTIO, ET OBITER EXPONITUR A QUO PROXIMO SUPERNATURALI PRINCIPIO PROCEDUNT ACTUS SUPERNATURALES QUI NON ELICIUNTUR AB HABITIBUS.

Solum potest superesse difficultas de prima conversione peccatoris, et in universum de primo actu supernaturali libero quem potentia elicit, antequam habeat habitum infusum. Nam tunc potentia plane est incompleta et intrinsece insufficientis; ergo indiget qualitate aliqua per quam prius recipiat vim agendi, quam agat, et ita constituatur in actu primo. Posset etiam difficultas extendi ad actus supernaturales qui eliciuntur a potentia affecta habitu; nam etiam illa efficientia non est immediate a solo habitu, sed etiam ipsamet potentia immediate influit, ad quem influxum non est de se et natura sua proportionata, neque habitus ad illam sufficit, quia ille non potest dare nisi suam activitatem; ergo necesse est ut per illam qualitatem efficacis auxilii suppleatur illa improportio.

Verumtamen hæc posterior difficultas nullius momenti est, nam illa improportio, si quæ est, non magis potest tolli per qualitatem additam post habitum, quam per ipsum habitum; quantumvis enim potentia fingatur affecta duabus vel tribus qualitibus, semper ipsa debet immediate influere in actum quem elicit, alioqui non eliceret illum vitaliter, neque esset a principio intrinseco vitæ. Necesse est ergo ut potentia immediate influat in actum per suam entitatem; qualitas vero licet addat virtutem activam supernaturalem, quam non habet potentia, non tamen potest reddere ipsam entitatem potentiæ magis proportionatam ad illum suum proprium influxum, quam ex se sit. Quia non immutat illius naturam in seipsa, sed solum addit novam superiorem virtutem. Vel certe si qualitas auxilii id præstare posset, eadem ratione id faceret qualitas, quæ est habitus, quæ dignior et excellentior est. Quare dicere necesse est vel

potentiam ipsam habere naturalem aliquam facultatem et activitatem, saltem imperfectam, et quasi fundamentalem, quam complet habitus; vel saltem habere potentiam obedientialem innatam per quam influit in actum, eo ipso quod elevatur per habitum, et per supernaturalem Dei concursum.

Difficultas ergo tota est in priori puncto, per quid scilicet compleatur hæc potentia ad primos scilicet actus eliciendos. Quam facile expedient qui opinantur primum actum contritionis vel charitatis elici ab habitu proportionato in eodem instanti infuso, quod etiam opinantur isti defensores physicæ prædeterminationis, et idem consequenter dicere debent de primo actu fidei in eo qui denuo ad fidem convertitur, quod scilicet procedat ab habitu fidei qui ei statim infunditur, nam est eadem ratio et proportio, et juxta hanc responsionem cessat objectio. Nos vero hanc sententiam non probamus, quia infusio habitus supponit actum jam elicitum tanquam dispositionem propter quam datur, et ita non infunditur habitus ut actus fiat, sed, quia actus factus est, ideo habitus infunditur, et ideo oportet quærere aliud principium supernaturale illius actus. Dicunt ergo alii tunc infundi quidem qualitatem aliquam per modum auxilii actualis. Vocatur autem actualis, quia non est permanens, sed solum durat, quandiu durat talis actus, et ideo non putant tale auxilium esse necessarium ad actus qui eliciuntur ab habitibus. Potestque hæc opinio defendi, dummodo talis qualitas non ponatur prædeterminans voluntatem; recte enim potest dare virtutem agendi, et non prædeterminare, sicut id facit habitus; imo vix potest intelligi quomodo possit aliud facere, ut statim dicam.

Nihilominus alii existimant non esse necessariam qualitatem hanc, non satis intelligibilem, et ideo putant ipsosmet actus gratiæ excitantis esse sufficientia principia physica ad eliciendum actum consensus. Sed hoc etiam semper mihi visum est valde difficile. Nam si ita intelligatur ut actus ipse gratiæ excitantis sit principium proximum connaturale, habens virtutem in suo genere principalem ad eliciendum actum consensus, sicut etiam habet habitus infusus, videtur hoc excedere naturam talis actus, qui valde imperfectus est comparatione ipsius consensus; si autem intelligitur actum ipsum gratiæ excitantis concurrere tantum, instrumentaliter elevatum a Deo, cum hoc non sit connaturale tali actui,

nec debitum illi, quandoquidem excedit ejus connaturalem virtutem, oportet ostendere fundamentum in quo nitatur, aut ubi revelaverit Deus hanc elevationem, quam vix concedunt Theologi in contritione, quæ est pars sacramenti Pœnitentiæ, ut sacramentaliter efficiat gratiam habitualem. Et præterea de ipsomet actu excitantis gratiæ redibit quæstio, quomodo aut per quid elevetur ad talem efficientiam. Imo cum ipse etiam supernaturalis sit et effective fiat a potentia naturali, de illo etiam interrogabitur per quod principium supernaturale eliciatur a potentia.

Et ideo in universum loquendo de actibus supernaturalibus, qui sine habitibus eliciuntur, sive libere, sive necessario fiant, probabilis existimo præter actuale auxilium concomitans, quod datur potentiæ per modum concursus, seu actionis divinæ, non dari aliud auxilium per modum principii, vel qualitatis inhærentis, sed Deum ipsum per omnipotentiam suam supplere activitatem habitus. Id enim facile facere potest, cum inde non pendeat vitalitas actus, sed a proprio influxu potentiæ per suam entitatem, estque satis ut illud principium sit supernaturale et gratuitum respectu potentiæ, quamvis sit ex providentia gratiæ quodammodo debitum, non voluntati, sed priori gratiæ, videlicet, præviæ excitationi supernaturali. Quia potentia de se est insufficientis ad respondendum illi, nisi prædicto modo a Deo juvetur. Igitur, licet ob hanc indigentiam potentiæ sit necessarium aliquod principium adjuvans illam, quod autem illud debeat esse inhærens requiritur ut actus fiat connaturali modo, et ideo principium assistens sufficit quando non elicitur actus naturali modo, ut in primo actu contingit, de qua re in tertio libro de Auxiliis dixi, et in fine hujus operis iterum de illa sermo redibit.

Nunc vero addo quod, licet illud principium esset inhærens, non tamen propterea esset prædeterminans. Quia omnis qualitas, quæ est tantum actus primus, vel est permanens per modum habitus, vel est transiens et solum per modum dispositionis ad actum propter quem datur, nec præter has potest alia cogitari; neutra autem ex his, recepta in potentia libera, est qualitas natura sua determinans talem potentiam ad unum; ergo tale auxilium prædeterminans non potest intelligi per modum qualitatis constituentis potentiam in actu primo. Minor de se patet in qualitate, quæ est habitus, quia habitibus utimur cum volumus, et quia alias habitus charitatis, qui